

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Meditationum evangelicarum volumen tripartitum

Creidius, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-122776](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122776)

Simile quiddam hinc continget. Multi enim qui jam divitiis & honoribus præcipientes, sessionem à dextris sibi vendicant, ibi commutata forte ad sinistram constituentur. Quantum verò dedecus, quanta confusio erit, cum dives epulo ad sinistram constitutus Lazarum mendicum à dextris positum videbit, cum superbus Haman despectum & neglectum Mardochæum sibi præferri sentiet, cum impius Herodes Baptista caput decollatum honore & gloria coronatum conspiciet? Hanc confusionem nihil sequetur nisi planctus & ejulatio, Sapient. 5. v. 2. seqq.

De Secundo.

Proximè succedit *Sententia finalis*, quæ erit

I. *Piis latifica*, tribus potissimum de causis,

1. *Propter suavissimam compellationem.* Nam venite, inquit Christus, venite benedicti Patris mei. Venite pauperes Lazari, venite exules, venite omnes crucigeri, qui hætenus pro nomine meo tot pressuras sustinuitis, venite ut reficiam vos, mundus vobis sat diu maledixit, tempus est, ut benedictionem promissam hereditetis.

Hoc maximum est solatium, quo se omnes afflicti in hac miseriarum valle erigere debent. Sunt quidem in mundo lampas contemta, Job. 12. v. 5. grex pusillus, Luc. 12. v. 32. περιφνηματα καὶ καθάρματα, 1. Cor. 4. v. 13. sed in extremo die alio titulo Christus ipsos honorabit, & venite, inquit, benedicti Patris mei, benedicti, qui in semen benedictum credidistis, benedicti, qui benedictionem à Domino consecuti, & omni bene-

ditione spiritali cumulati estis, Eph. 1. v. 3. benedicti etiam, qui cursum vestrum feliciter absolvistis, jam accepturi βαβαβέον τῆς αἰῶνος κλήσεως τῷ Θεῷ, Phil. 3. v. 14.

2. *Propter largissimam remunerationem.* Nam possidete regnum, dicit Dominus, quod vobis ab origine mundi paratum est, hæreditatem capesite, ex cuius possessione nullus vos hostis exturbare poterit. Potentissimus Rex Ahasverus eximia Estheris pulchritudine captus dimidium regni ei pollicetur, modo cupitis ejus amplexibus frui possit, Esth. 5. v. 6. 7. v. 2. At major erit amor CHRISTI erga electos, quibus ille non regni partem, sed possessionem integram elargietur. Sic ab æterno decrevit, ut ubi ipse est, ibi sit etiam minister ejus, Johan. 12. vers. 26. Sic disposuit suis fidelibus regnum, ut edant & bibant super mensam suam in regno ejus, Luc. 22. vers. 30. nam justi in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum, & cogitatio eorum apud altissimum, idèd accipient regnum decoris, & diadema speciei à manu Domini, Sapient. 5. vers. 16. 17. hoc Christo acceptum ferunt, qui lavit eos sanguine suo, & Reges fecit & Sacerdotes Deo & Patri suo, Apoc. 1. vers. 6.

Veniamus igitur, dum nos hinc vocat ad regnum gratiæ, ut aliquando intromittamur etiam ad regnum gloriæ, suscipiamus hæreditatem crucis, ut consequamur etiam hæreditatem lucis, simus filii Dei in fide & adoptione, ut simus aliquando tales in visione, & consummatione. Hic vita aut acquiritur aut amittitur. Qui hinc negligit dulcissimam Christi invitationem, quando extentis manibus clamat, venite omnes, qui laboratis & onerati estis, &c. Matth. 11. vers. 28. tristissimam aliquando increpationem audire

R r cog-

cogetur: Ite maledicti, juxta comminationem divinam, Proverb. 1. vers. 24.

3. *Propter operum charitatis deprædicationem.* Licet enim regnum, quod Christus aliquando electis possidendum tradet, merum sit χάρισμα, & gratuita hæreditas, ut ex vocabulo κληρονομία satis evidenter patet, quæ non datur propter opera, sed ex gratia propter Christum credentibus in ipsum, Rom. 11. v. 6. nihilominus tamen, quia in publico angelorum & hominum consensu judicium hoc exercebitur, testimonia operum Christus producit, ut confirmet, electos verè esse tales, videlicet per fidem benedictos & dilectos Dei filios, sicut ipsos jam appellaverat. Vera enim fides exerit se per charitatem, Gal. 5. v. 6. Charitas autem per opera misericordiæ, quorum præcipua sunt esurientes cibare, sitientes potare, peregrinos hospitio excipere, nudos vestire, ægrotos visitare, incarceratos consolari. Quicquid horum pauperibus & exulibus Christi membris præstamus, Christus sibi factum reputabit, quia ipse caput est, Eph. 5. v. 23.

Nostrum est sectari opera charitatis & misericordiæ. Quanquam enim propter illa hæreditas vitæ æternæ nobis haud datur, fidem tamen comitantur, quæ sine operibus mortua est, Jac. 2. v. 26. & hæreditatem cælestem non consequitur. Sumus enim creatura Dei, creati in Christo Jesu ad bona opera, ut in illis ambulemus, Eph. 2. v. 10. absq; hac sanctimonia nemo videbit Deum, Ebr. 12. v. 14.

O quam gloriosum erit nobis, cum Judex supremus Christus Jesus omnia panis frustula, quibus esurientes pavimus, omnia pocula, quæ sitientibus ministravimus, omnia vestimentorum lacinia, quibus nudos

operivimus, omnes gressus, quos captivorum & ægrotorum gratiâ fecimus, coram Deo Patre in conspectu omnium angelorum & electorum, tanquam sibi factum sit, deprædicabit, & non tantum deprædicabit, sed etiam largissimè compensabit. Pro pane mendicis erogato, dabit nobis manna absconditum Ap. 2. v. 17. pro aquæ potu, aquam vitæ splendidâ tanquam Christallum procedentem de sede Dei & Agni, Ap. 22. v. 1. pro hospitio exulibus concessio æternum tabernaculum, Luc. 16. v. 9. Pro vestimentorum laciniis induet nos vestimentis salutis & indumento justitiæ, Ef. 61. v. 10. Pro eo, quod ægrotos & captivos visitavimus, angelorum choros nobis associabit, qui nos excipere & in æternum gaudium introducere debent, Luc. 16. v. 22. ô copiosam retributionem! quæ omnia nostra opera præponderat. Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera firmam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non labemini, sed ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, 2. Pet. 1. vers. 10. 11.

II. *Impiis terrifica.*

1. *Propter æternam relegationem.* Nam discedite, inquiet Judex, confestim ab oculis meis vos proripite, non dignabor vos, ultra aspectu vel alloquio. O repudium amarum! ô triste exiliû! Dum enim à Christo discedent, discedent simul à vitâ, Joh. 14. v. 6. & æternum morientur Pf. 40. v. 15. Ap. 9. v. 6. discedent à luce, Joh. 8. v. 12. & in æternas tenebras præcipitabuntur, Matth. 22. v. 13. discedent à fonte viventis aquæ, Joh. 4. v. 14. & non poterunt impetrare guttulam, qua sitim restinguant in inferno, Luc. 16. v. 24.

Gentium Doctor Paulus cum Milesiis vale-

valedicturus Romam secederet, & adderet, nunquam amplius illos faciem suam visuros, lachrymantes collo ejus incubuere, & suspirantes osculabantur eum, dolentes maximè in verbo, quod dixerat, quoniam faciem ejus non amplius essent visuri, Act. 20. vers. 32. seqq. Si tantum Milesii in discessu unius sancti viri commoti sunt, ut lachrymarentur & gemerunt ad unum omnes: quanam obsecro damnatorum erit afflictio, cum in æternum se divinæ essentia fruitione & conspectu privandos considerabunt. Væ illis, ubi ego discessero, inquit Jehova, Os. 9. v. 12.

2. *Propter duram increpationem.* Nam maledictos appellat, quo nomine tam malum culpæ quam malum pœnæ complectitur. Utroque enim damnati prementur onere. Catalogum maledictionum ejusmodi, quæ transgressionem legis sequuntur, vide Deut. 28. v. 15. seqq.

Quis audivit unquã maleficum ad mortem condemnatum convitiis impeti? an non fatis amaritudinis ipsa mortis sententia continet? cur afflicto addatur afflictio? sed attendite vos mei, latet hic mysterium. Scilicet Noachum videtis, qui amore nostri, longanimitateq; nimia inebriatus, cum aliquot millenis jam annis misericordiæ somno oppressus jacuerit, evigilantem, & impios Chamos, qui nuditatem & ignomiam, paupertatem & humilitatem, crucem & passionem illius toties irrisere, maledictione acerbissimã ferientem, & non immeritò: nam maledictus est omnis, qui non permanet in omnibus quæ scripta sunt in lege, Deut. 27. v. 26.

Meminimus olim Christi maledictione ficum confestim exaruisse, Matt. 21. vers. 19. quid de impiis futurum existimatis, quando

horrendum illud maledictionis fulmen experientur? certè præ metu extabescant, & præ formidine examinabuntur, nam ira Dei manet super ipsos, Joh. 3. v. 36.

3. *Propter supplicii designationem,* quod duplex:

1. *Gehenne incendium.* Ita enim Judex inquit ad damnatos: Discedite à me in ignem æternum. Origor! ô dolor! cælesti nimirum patria exulare, & ad ignem damnari. Ignem cujus respectu omnes ignes, omnesque mundi pœnæ quasi ignis pictus, & quasi ludus videntur, ignem qui non prius extinguetur, quàm Deus, qui principii simul & finis expers est, esse desinat, ignem qui corpora simul & animas cruciabit tantum & non devorabit, sed in æternas semper pœnas reservabit, Judith. 6. v. 21.

O cavete vos mei, ne experiamini hujus ignis vehementiam, foveite ignem fidei, dilectionis, devotionis, ut cum Emaunticis dicere possitis, Luc. 24. vers. 32. nonne cor nostrum ardens erat in nobis in via, & aperiret nobis Scripturas.

2. *Diabolorum consortium.* Nam ignis ille paratus dicitur Diabolo & angelis ejus. Si in hac vita spectrum apparet, quantus oritur terror? Quid ibi fiet, ubi in propria forma conspiciuntur Dæmones, qui magno fremitu & horribili ululatu miseris animas involabunt, tunc audientur lamentationes, Sapient. 5. vers. 3. Apocalyp. 6. vers. 16. 17.

Si vultis effugere hoc consortium diabolorum, fugite peccatorum commercium, resistite Diabolo, & fugiet à vobis, appropinquate Deo, & appropinquabit vobis, Jac. 4. vers. 8.

4. *Propter sententiæ justificationem.* Ne enim judicium hoc videatur injustum, ratio-

nes adducit, & intermissæ charitatis erga proximum ipsos inculcat, esurivi, inquit, & non dedistis mihi cibum, sitivi, & non dedistis mihi potum, q. d. fuistis immisericordes, & hæc ratione comprobatum dedistis, quod verâ fide non sitis instructi, quippe quæ per charitatem efficax est, Gal. 5. v. 6. Conabuntur quidem impii se de objecto crimine purgare, sed parum ipsi proderit, sententia Christi manebit immota, siquidem omnia humanitatis officia pauperibus denegata, ipse sibi denegata reputabit. Hinc experientur, illud Jacobi: Judicium sine misericordia erit ei, qui non exercuit misericordiam, c. 2. v. 13.

Cogitate vos mei, si in ignem mittetur, qui esurienti non dedit panem suum, ubi putas mittendus est, qui tulit alienum? Si in ignem mittendus erit, qui nudum non vestit, ubi mittendus erit, qui vestitum expoliat? Si cum Diabolo damnatur, qui hospitibus non præbuit domum suam, ubi putas mittendus est, qui tulit alienam? Si periturus est, qui carcerem non visitat, quid fiet de illo, qui fortè in carcerem misit? Attendite, quam spem habere possunt, qui mala faciunt, quando illi perituri sunt, qui bona intermittunt? inquit Augustinus. Ergò pœnitentiam agite, periculum in mora est, securis jam tum ad radices arborum posita est, quæcunque arbor fructum bonum non facit, excindetur & in æternum ignem conjicietur, Matth. 3. v. 10. Dicitur est tibi ô homo, quod bonum est, & quod Dominus à te requirit, Mich. 6. v. 8. Testes hodie invoco cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam & mortem, benedictionem & maledictionem, elige ergo vitam, ut vivas tu & semen tuum, Deut. 30. v. 19.

De Tertio.

Restat executio, quæ his verbis describitur: Et ibunt hi, videlicet impii, in supplicium æternum, justi verò in vitam æternam.

Tria potissimum notatu digna hic ponderanda veniunt:

1. *Ordinis inversio.* In sententiæ promulgatione pii ad dextram collocati primi erant, sed jam in executione ab impiis primordium facit judex, ut pii oculis suis videant retributionem impiorum, Ps. 91. v. 8. & exhinc magis agnoscant beneficium salutis, quod per Christum consecuti sunt, adeoque laudes Dei pleno ore decantent, ex Ps. 116. v. 7. seqq.

In hoc mundo judicium solet incipere à dono Dei, 1. Pet. 4. v. 17. Ezech. 9. v. 6. Sed ibi invertetur ordo, & ab impiis vindictæ initium fiet, tempus patientiæ effluxit, ad est dies iræ, quæ Deus dolores furoris sui divitet, & calamitas instar torrentis impios inundabit, Job. 21. v. 17.

Si sapitis ergò Vos mei, divitias bonitatis, patientiæ, & longanimitatis divini, quibus vos ad pœnitentiam invitat, nolite contemnere, Rom. 2. v. 4. nam lento gradu ad vindictam sui divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat, Sirach. 5. v. 7.

2. *Cita executio.* Nihil sanè non tentabunt impii, obsecrantes, ut hæc sententia mitiget, aut executio differatur, verum nihil efficient. Vix olim Ahas verus mortis sententiam in Hamanum tulerat, & statim ille à carnifice in crucem actus est. Necdum verbum de ore Regis exierat, ait Textus, & statim operuerunt faciem ejus, suspensusque est Haman in patibulo, Esth. 7. v. 8.

Ita